



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

6. Quodmodo S. Ansgarius Discipulo suo Rimberto amorem suum patefecerit; & à Deo obtinuerit, vt scieret, ipsos in vita æterna non separandos, sed consortium præmiorum habituros.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

sive occultè sive manifestè famulabatur.

## CAPVT VI.

*Quomodo S. Ansgarius Discipulo suo Rimberto amore suum patefecerit; & à Deo obtinuerit, ve sciret, ipsos in vitâ aternâ non separandos, sed consortium præmiorum habituros.*

**D**Enique cùm quadam die iuxta morem simul assisterent ad orationem, iamque supplicatione finitâ egredi de Ecclesia pararent, quasi secretioris gratiæ munus in Discipulo Pontifex agnoscens, eum his verbis alloquitur: Oportet te, inquit, ô Fili Rimberte, semper illi gratias agere, qui de turbidis seculi fluctibus ad portum quietis te vocauit, ad quem quia video te indubitanter animum applicasse, fateor amoris tui me affectu flagrare, eandemque dilectionem finetenus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille respondens, indignus sum, inquit, Domine tantâ gratiâ tuâ: quia tamen hanc in me ostendis clementiam, meritis tuis apud Deum mihi obtineri depono, vt in futura vita præmiorum tuorum consortium adipiscar. Tunc Sanctus Episcopus cuius mentem gratiâ Dei sæpius illustrari diximus ad prænoscentia quæ illi futura essent, his verbis dignissimi Rimberti, nullum quidem ad præsens dedit responsum, tertiâ verò die transactâ ipso iam sollicitudine cogitationum fatigato, quare scilicet ad hanc petitionem suam



retulerit Episcopus talem ei reddidit consolationem: Iam, inquit, obtinui à Domino, ut in futuro seculo sicut petisti ab inuicem non separemur; ubi ita beatitudinis æternæ participes erimus, ne nostrâ nos virtute ad hanc pertingere posse præsumamus, quod est reatus superbiæ, per quam ceciderunt qui operantur iniquitatem, nec rursus desidiâ torpentes obliuiscamur quod dicitur: in Deo faciemus virtutem, sed cotidie studeamus, ut bonum opus sicut ammonet Beatus Gregorius habeatur nobis in voluntate; ac sic consequenter confidamus, quia iuxta eundem Doctorem ex adiutorio diuino erit in perfectione. Si quem autem mouet hanc trium dierum dilationem ad hoc responsum fecisse Episcopum, meminerit nos prædixisse, mentem eius à gratiâ Dei ad prænoscentia futura sapius illuminari, de quo tamen his ipsis quæ subiecta sunt verbis in vita eius ita scriptum habetur. Ad omnia ergo quæ fortè præcipua definire debebat spacium cogitandi habere voluit, nec quicquid timere disponebat, antequam gratiâ Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset. Sicq; supernâ visitatione certificatur in mente sine cunctatione quæ agenda erant disponebat. Hæc de vita eius idoneus inseruisse Lector intelligat, ut ex hoc testimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem huius Sanctissimi Discipuli sui Rimberti respondisse, nisi quod in hoc tridui spacio menti eius Spiritus Sanctus

*Pro. in  
vita esse.*

*Caput 5.*

Sanctus



Sanctus infudit; iuxta sententiam quam etiam  
superius de Actibus Apostolorum protulimus.

## CAPVT VII.

*Procuratoris S. Ansgarj de S. Rimberto Visio;  
eiusque explicatio.*

**A**ccedit etiam ad præfagium virtutum  
Beati viri visio quædam de ipso reue-  
lata Procuratori Antistitis, primâ mox no-  
cte aduentus eius Hammaburgum, cum ipse  
adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset.  
Videbatur enim eidem Procuratori, conspe-  
xisse seipsum Rimbertum sedisse in fastigio O-  
ratorij, signumque Ecclesiæ vnum quod nos  
Cloccam vocamus in cælo apparuisse, à quo  
ligamen lineum vt assolet in modum funis de-  
missum vsque ad ipsum dependeret Rimber-  
tum, per quod ipse idem signû hilariter traxit-  
se, & sono eius dulciter delectatus esse videba-  
tur. Cui somnio congruâ ex diuinis Scripturis  
interpretationem repetimus. Præcipitur Mo-  
si à Domino, vt inter alia vestis Sacerdotalis  
mystica indumenta hæc etiam fiant: Deorsum,  
inquit, ad pedes eiusdẽ tunicæ per circuitum  
quasi mala punica facies ex Hyacintho & pur-  
pura & cocco bistincto, & vt in sequentibus  
inuenitur ex bysso retorta, mixtis in medio  
tintinnabulis. Quare autem hic tintinnabu-  
la adiungi præcepta sint, inferius ostenditur:  
vt audiatur, inquit, sonitus quando ingreditur  
Pontifex Sanctuarium in conspectu Domini,

I s

&amp; non

*Ipsa Visio.**Explicatio  
Visionis.*